



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **LAIENSIS*** IN CIADIA DIOECESIS LAIENSIS
CONDITUR Universalis in Ecclesia pastoris munere perfungentes Nos, unde maxima omnibus ubique christifidelibus
adferantur spiritalia commoda, hodie benigne quidem pastorales cogitamus ecclesiae dilectissimae Ciadiensis
necessitates atque opportunitates, ubi scilicet graviore sane ob causas suas nuper est riteque petium ut florentes
iam inibi communitates ecclesiales Munduensis et Dobana sic a Nobis dividantur ut provinciae civilis, vulgari nomine
Tandjilé, loca iisdem ab ecclesiis memoratis seiuncta novam convertantur in ecclesiasticam circumscriptionem. Cunctis
autem illius consilii perpensis rationibus auditisque Congregationis pro Gentium Evangelizatione hac de re sententiis
atque etiam Venerabilis Fratris Didaci Causero, Archiepiscopi titulo Metensis et Apostolici in Ciadia Nuntii, iudicio, hanc
etiam nimirum Nos partitionem constitutionemque in certius cessuram esse arbitramur spiritale emolumentum totius
catholicae iis in locis ecclesiae ac proinde motis idcirco precibus perlibenter obsequimur et quae sequuntur apostolica ex
auctoritate Nostra fieri plane iubemus. A superius recensitis dioecesibus Munduensi et Dobana detrahimus regionem
eam utrimque quae provinciae civilis Tandjilé appellatione vocatur, ex qua novam omnino condimus dioecesim posthac
Laiensem nuncupandam, quam simul metropolitanae Ecclesiae Ndiamenanae suffraganeam subicimus atque
iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subdimus. Aedem vero novae huius ditionis cathedralis in
urbe *Lai* ipsa situm templum Sanctae Familiae sacrum statuimus, ad gradum videlicet et dignitatem cathedralis ecclesiae
secundum normas evectum cunctisque pariter iuribus liturgicis ac insignibus exornatum talia ad aedificia sacra
pertinentibus. Quod superest, singula praecepta et praescripta canonibus in Ecclesiae vigentibus de novae huius modi
dioecesis ordinatione et gubernatione ad amussim adservari in perpetuum atque impleri volumus. Litterae denique hae
Nostrae firmae ut sint maneatque semper decernimus, quibusvis rebus aut causis haudquaquam obsistentibus. *Datum*
Romae, apud Sanctum Petrum, die duodeviginti mensis Novembris anno Domini millesimo nongentesimo
nonagesimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo et primo.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Carmelus Nicolosi, *Protonot.*

Apost.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana